

QK. 285

v. Bevlwitz



22

94

PRAEMATVRVM OBITVM

VIRI

IUVENIS GENEROSISSMI

IOHANNIS FRIDERICI
DE BEVLWIZ,

QVEM FRATERNO ATQVE TENER-
RIMO AMORE AMPLEXVS EST

EGRAE 24. IANVAR. 1746.

SVBSECVTVM


MAGNA ANIMI MOESTITIA
DEPLORAT,

SIMVLQVE

VITAM BEATI FRATRIS ANIMO

REVOLVIT

GVILIELMVS FRIDERICVS
DE BEVLWIZ.



FRANCOVSAE, LITTERIS KEILIANIS.



Voltaire.

*Tous ces honneurs mondains ne sont qu'un bien sterile,
Des humaines vertus recompense fragile,
Va dangereux eclat, qui passe et qui s'enfuit,
Que le trouble accompagne, et que la Mort detruit.*

*Viens, obeï, sui-moi par des nouveaux chemins,
Vole au sein de Dieu même, et rempli tes destins.*



ncepts primo et dubius animus in
diuersa distrahebatur, cum id
mihi negotii datum uiderem,
ut Carissimo Fratri, fatis iam
perfuncto, monumentum quod-
dam statuerem, uitamque eius paucis describe-
rem, quam subito correptum morbo Egrae po-
nere oportuit. Debere quidem me id pietati,
qua erga illum feror, debere auctoritati optimi
Parentis, qua ad hunc laborem adducor, de-
bere genti nostrae, cui memoria illius cele-
branda uisa est, qui in remota illa ciuitate oc-
cubuit, statim habui perspectum; sed ab alte-
ra parte per fratris praeconia modestia laedi ui-
debatur; idque eo magis cum eius uitam expo-
nenti,

menti, propria simul, quae inter nos semper intercessit summa necessitudo, sit attingenda; siquidem totam uitam ita transegimus, ut communicatis semper, quae animo et corpori obtigere, merito unam appelles eandemque. Ast num uituperandus ero, si beneficia Dei, in defunctum fratrem edita, laudibus effero, quorum testis imo particeps plerumque extiti? si in uitae probitate, si in morum integritate describenda hanc exiguam operam adhibeo, quibus Dilectissimus Frater integram suam addixit uitam? Ea profecto in aequis harum rerum aestimatoribus mihi posita est fiducia, ut me *hacce professione pietatis, quamquam non laude, bene tamen excusatione dignum iudicent.* Propriae simul uitae mentionem adiicienti, si exemplis eruditorum me tueri in animo esset, si pictores, qui se ipsos depinxerunt allegare liberet, non deessent causae initi consilii, sed ueritati inseruiendum, communis nempe uita et perpetuum contubernium fuit, quae si etiam omnia abessent, nullam sane reprehensionem mereor, si humanae fragilitatis, si benignitatis diuinae, si Patriae iudulgentiae memor, uitam, utut nullis praeclare gestis insignem, oculis aliorum subiiciam, quibus dictum esse uelim, *fiduciam potius morum, quam arrogantiam inde esse colligendam.*

Primam lucem Posizii adspeximus, non ignobili et atavito Brandensteiniorum praedio, Frater quidem 5. Dec. 1720. et ego 5. Sept. 1722. Equidem quanto diuina humanis praestant, tanto benignissimi Numinis prouidentia erga nascituros summam, quam erga eos adhibent leges ciuiles diligentiam antecellit, idque nostro exemplo firmare queo. Optimis enim parentibus procreati ab indulgentibus nutritoribus educati sumus; siquidem Pater fuit Vir Perillustris atque Excellentissimus ANTONIVS FRIDERICVS de BEVLWIZ, Sereniss. Princip. Schwarzb. Rudolstadt. a Consiliis intimis, et supremorum, quae Francohae sunt, Collegiorum Praeses, Consiliarii Regiminis uices tunc sustinens, de cuius animi dotibus et meritis in rempublicam alii testantur complures, eoque facto reuerentiae atque modestiae, quam illi debeo, immunitatem dant a proluxa eorum enumeratione, id saltem silentio praeterendum minime est, quod nullum genitorem habere potuissemus, qui maiori nos amore amplecti, magis accurata diligentia circa educationem uersari, ardentiores preces Deo pro nobis fundere, et illustriori ad uirtutes exemplo nobis esse potuisset; Matre editi sumus LVISA SVSANNA DOROTHEA, ex nobili BRANDENSTEINIORVM

RVM gente prognata, in qua filium tantum modo decet tenerrimum amorem et indefessam sollicitudinem uenerari atque efferre, namque in huius sinu indulgentiaque infantiae annos transegi-
mus, huius curam puerilis aetas adfecit, et ad-
ulta non imminuit, neque inter alia, quae hisce
Parentibus accepta ferimus, beneficia, ultimo loco
ponendum est, quod illibatam a maioribus accep-
tam equestrem dignitatem ad nos transmiserint;
id quod sequentibus demonstrandum duxi:

Auus Paternus fuit GEORGIUS VLRICVS de
BEVLWIZ, Seren. Schwarzb. Principis a consiliis
secretioribus, et profani atque ecclesiastici tribu-
nalis, quod Rudolstadii est, Praeses.

Auia Paterna, MARTHA CATHARINA ex
BRANDENSTEINIA gente.

Aui Paterni Pater GEORGIUS FRIDERICVS
de BEVLWIZ, Dynasta Loehmae.

Aui Paterni Mater CHRISTINA SYBILLA
ex STEINIORVM gente.

Auia Paternae Pater IOHANNES OTTO de
BRANDENSTEIN, Dynasta Oppurgi, Colbae
et Pofizii.

Auia Paternae Mater DOROTHEA ELISA-
BETH, nata de STEINSDORFF.

Auus Maternus GEORGIUS CONRADVS de
BRANDENSTEIN, Dynasta Pofizii, Sereniff.
Margrav. Brandenburgico - Culmbacenfis Aulae
Magifter.

Auia Materna, MARIA SVSANNA nat. de
BEVST.

Aui Materni Pater IOHANNES OTTO de
BRANDENSTEIN, Dynasta Oppurgi, Colbae
et Pofizii.

Aui Materni Mater, DOROTHEA ELISA-
BETH. nat. de STEINSDORFF.

Auiae Maternae Pater IOACHIM. ERNEST.
de BEVST, Dynasta Langen-Orlae et Remftaedt,
Seren. Duc. Saxo - Altenburgenfis Supremus redi-
tuum Prouincialium Conflarius.

Auiae Maternae Mater SVSANNA SABINA
nat. de THVNA.

Inter abauos numerandi funt,

Aui Paterni auus Paternus IOH. WILHELM.
de BEVLWIZ, Dynasta Eichichti et Burg-Lemniz.

Aui Paterni auia Paterna MARIA MAGDAL.
nat. de WAZDORFF.

Aui Paterni auus Maternus IOHANN. VITVS
de STEIN, Dynasta Neidenbergi.

Aui Paterni auia Materna CHRISTINA de
BRANDENSTEIN.

Auiae

Auia Paternae auus Paternus WOLFF. HEIN-
RICVS de BRANDENSTEIN, Dynasta Oppurgi
et Colbae.

Auia Paternae auia Paterna, SOPHIA, nat. de
THVNA.

Auia Paternae auus Maternus HEINRICVS
PHILIPPVS de STEINSDORFF.

Auia Paternae auia Materna, SABINA, nat.
de POSERN.

Aui Materni auus Paternus WOLFF. HEINR.
de BRANDENSTEIN, Dynasta Oppurgi et
Colbae.

Aui Materni auia Paterna SOPHIA, nat. de
THVNA.

Aui Materni auus Maternus HEINR. PHILIPP.
de STEINSDORFF, Dynast. Ober-Böhmersdorff.

Aui Materni auia Materna, SABINA de PO-
SERN.

Auia Maternae auus Paternus HENRIC. FRI-
DER. de BEVST, Dynasta Planizii.

Auia Maternae auia Paterna ANNA MARIA
BOSEN.

Auia Maternae auus Maternus HEINRIC.
WILHELM. de THVNA, Dynast. Schletweinii.

Auia Maternae auia Materna SVSANNA,
nat. de BRANDENSTEIN.

Lon-

Longiorem Maiorum seriem illi exhibent, qui nobilium familiarum res gestas atque generis antiquitates commemorant.

Sed ab hominibus ortos nil nisi humanum manere poterat, ideoque optimi Parentes primam curam eo intendebant, ut sacro baptismo etiam eorum bonorum participes fieremus, quae Christus istis imperitur, qui ciuitati eius sese addicunt. Posizio Rudolstadtium, indeque Francohusam delati, morbidum corpus nobiscum ferebamus, inprimis defunctus frater rheumatismis grauiter adfligebatur, a quibus adulta demum aetas immunis fuit. Vbi ad eos annos peruenissemus, qui ueri falsique intelligentiam habere possunt, sub *IOH. GEORG. BREVLIO*, singularis probitatis atque industriae homine 1725. prima fundamenta iaciebantur, et studiorum auspicia a percipiendis iis rebus rite capiebantur, quae immortalis Deus ad sui cognitionem, et salutem hominum hisce innotescere uoluit. Siquidem Dnus Parens, cuius curam atque prouidentiam gratissimo semper animo uenerati sumus, commodissimum ratus est, si primi ingenii flores benignissimo creatori unice dicentur, atque etiam crescentes uires illius cognitioni impendantur, et hoc facto immunes exstitimus ab illis linguarum peregrinarum cruciatibus, quibus pueri, patrium sermonem minus callentes, plerumque agitari solent; omnem hic *BREVLIVS* fidem atque operam praestitit, usque

que ad annum 1730. utpote quo Scholae Francohusanae praefectus est; damnum autem, quod in hoc probatae integritatis uiro feceramus, eximia *EPHRAIMI GOTTHOLDI CAMERARII* alacritate refarcitum fuit, in cuius institutionem atque disciplinam traditi, eaque ad humanitatem magis magisque formati, et usque ad annum 1733. non absque fructu usum sumus, hoc enim cura ei obuenerit sacrorum Ringlebiiensium; iam amantissimi *DANIELIS GOTTLIBII MULLERI* diligentiam, egregiam rerum cognitionem, et praecipuum erga nos amorem experiri coepimus; etenim hic nullis laboribus pepercit, ut primo in diuinarum rerum cognitione firmaremur, ac deinde reliqua nostrae fortis et aetatis hominibus addiscenda celeriter arriperemus, neque publicis iam muneribus admotus, cum ad ecclesiam, quae Francohusae superior dicitur, uocaretur, sese ab hoc nobis tam salubri consilio studioque detineri passus est. Sed hisce laboribus nostris a. 1738. haud exigua mora allata est, quippe quo et frater defunctus et ego flagrante feбри uno eodemque tempore eum in modum oppressi sumus, ut ui huius morbi per plures uicissitudines agitati, integro bimestri spatio uires uix recolligere potuerimus, et hanc aduersam ualetudinem et ingrauescentem et decreescentem semper communem habuimus; Tandem hoc morbo defuncti, laboribus nostris, *MULLERO* duce, institui-

mus,

)(



mus, cui iam Diaconi munus, (id quod non sine insigni cunctorum acclamatione hodieque gerit) in Cathedrali ecclesia demandatum erat, et academiam iam spectantes animum ad ea percipienda adpulimus, quibus hoc iter suscipientibus tanquam uatico opus est. Peractis Paschatos sacris 1741. Halam Venedorum contendimus, et postquam ciuitati isti academicae nomen dederamus, *HEINECCII* institutione in iuris Naturae et Gentium studio uti coepimus; sed grande hoc eruditionis sidus maturius prohdolor! obiit, et cum uix dimidiam partem pertractassemus, nos ex hisce scholis discedere oportuit. Institutiones Iustinianaeas *CARRACHIVS* singulari industria; *WIDEBVRGIUS* historiam imperii nostri, statuum Europae, et formam iuraque Imperii Germanici eximia, qua pollet, ingenii dexteritate, nobis exposuit; Ciuilibus feudalis atque canonici iuris placita ex *BOEHMERI* ore tanquam fonte perenni augustoque hausimus; Historiam naturalem et Physicam experimentalem *LANGIVS* nobis tradidit, omnes autem tam in scholis, quam extra eas ita sese nobis praebuerunt, ut gratissimo semper animo eorum memoria mihi seruanda sit. Hisce grauissimis rebus cognoscendis animum exercentes publice nostrorum conatuum rationes reddere iussi sumus, et frater quidem defunctus (de meis enim aliquid addere in animo non est) natalem diem Seren. tunc *PRINCIPIS HAEREDIS* terrarum

rum Schwarzburgico - Rudolstadtensium 1742. uotis deuotissimis celebrauit, simulque contendere annisus est: *Innocentium II. perperam credi Imperatoris Lotharii II. auctoritatem clientelae specie uiolasse*, insequente aestate de *decimarum Thuringicarum, a Moguntinis archiepiscopis olim exactarum, iustitia, et speciatim inde exortis tempestatibus tempore Henrici IV. Imperatoris*, commentatus, Illustrissimo S. R. I. Comiti HENRICO de BVNAV uerborum honores deuota mente exhibuit; et 1743. de *excommunicationis in Electorem S. R. I. ecclesiasticum, a pontifice Romano decretae, effectibus ciuilibus* commentationem Seren. Principi FRIDERICO ANTONIO Patriae tunc Patri optimo, sed nunc fatis omnium expectatione citius erepto, in splendidissimi natalis solennitate deuotissime consecrauit. Sed musas tanta asfiduitate colens sanitatis rationem parum habuit, eoque facto corpus, alias minus firmum, debilitauit, id quod Halae non solum intelleximus, sed etiam Francohusam 1743. post festum Michaëlis reuersis indies magis magisque uidere fuit; Primo uere 1744. Dnus Parens Dresdam nos secum adduxit, ubi trimestre ferme spatium commorati sumus, reduces inde aulam Rudolstadtensem bis inuisimus. Sed neque hisce itineribus malum, antea sedentaria uita contractum expellere poterat, ideoque hieme subsequente, qua uim eius adauctam senserat Frater, aliud sibi uitae genus eligendum ratus est, et indulgentes Parentes

nec in eo consensu suo et auctoritate ei defuerunt, cum sagatae militiae nomen dare in animo haberet; quo consilio proxima 1745. aestate iter Heidelbergam suscipiebat, ubi Mars tunc temporis singulari splendore fulgebat; substitit ibi aliquantum Voluntarius, et cum parte copiarum Austriacarum in Saxoniam rediit; Prima castrorum rudimenta iis, quorum ius sui obtemperare debebat, statim ita approbavit, ut etiam in hoc vitae genere eum non inutilem fore, esset sperandum; cum Austriacae copiae prope Dresdam considerent, saepius Dnum Parentem meque inuisit, tunc temporis ibi praesentes, sed postea suorum neminem conspexit, incidebant enim tempora, quibus cum coelo, tempestatibus, gelu atque infestis hostibus conflictandum erat, suscepit quidem defunctus Frater cunctos labores, sed cum uoluntas uires superaret, succubuit, siquidem prope Toeplizium in Bohemiam reditum parans in ardentem febrim incidit. Statim quidem Parentes de hoc certiores facti sunt, sed antequam curationis ratio haberi posset, occubuit, ut merito hanc ultimam Eorum curam, quam circa hunc filium adhibuerunt, primam appelles, quae effectus fuit destituta: nam Egrae 24. Ianuar. a. c. naturae debitum persoluit, et militari honesto funere ibi humatus est:

Cum perit et coepi parte carere mei.

Vlti-

Vltimum igitur, *Dilectissime Frater*, officium Tibi praesto: sed quam luctuosum? laudes iam funebres dicendae: at quam funestae? doloris nostri interpretem me esse oportet: uerum includit ille paene uocem. Ignoscas flendi uoluptati, quam tot alias ex Te hucusque percipienti, unicam restare uides, et laudationem Fratri, coelicolarum hymnis iam unice intento, debitam a me recipias.

Si quid id, a proauis usque es uetus ordinis haeres,

Ex illo sanguine oriundus, qui saepius reipubl. causa effusus est; imagines maiorum ostendere potes, quae reipubl. et ecclesiae nonnunquam decori fuerunt. Fuisse morem Romanorum memoriae proditum est, ut imagines maiorum funeri ducendo praeferrent; atque hunc etiam Egrae seruatum fuisse persuasum mihi habeo: Quid enim ille animus religione imbutus? quid mens conscia recti uirtuteque ornata? quid illud incitatum studium, immortalem Deum colendi? quid ille feruor, aliquando de republ. bene merendi? quid ille uultus simulationis nescius? Nonne eadem illa sunt, quae maiores ornarunt, eorumque nomina obliuioni eripuerunt? Siquidem auita nobilitas antiquis monetis comparanda, in quibus non argentum, sed figura, qua hoc signatum, aestimanda uenit. Verum enim uero quid ab imbecillitate humana quam

) (3

huma-

humanum expectandum est? Supremi Numinis immutabilis iustitia nil sibi placere posse saepius testata est, quam quod ipsius gratia nisi auxilioque suffulti peregerimus. Quam bene cum nostra hominum sorte agitur, quod eam gratiam idque auxilii nemini denegat. Mortales eo quidem invidiae procedere solent, ut etiam luminis usu ex praedio suo vicinum prohibere contendant; at benignissimo creatori longe alia mens est, ipse mortalibus facem praefert ad sui cognitionem, ipse non terrestria modo bona, quae nouit unicuique conductura, sed spiritualia etiam et aeternum duratura liberali manu dispensat. Abunde, Frater dilectissime, beneficam Dei manum non in rebus modo conferendis, quae ad hoc aeuum pertinent, sed in iis etiam, quae felicius saeculum spectant, expertus es; quin Benignissimus Creator largitione bonorum spiritualium se beneuolentiae suae nondum satisfecisse arbitratur, ipse praeterea uires Tibi suppeditabat, ut illis rite frui posses; et ex hoc sacratissimo fonte omnes uirtutes adpersae, quae ex recta animi adfectione in Te profectae sunt. Omnes quidem, quibus innotuisti, testes adsunt, Te nec fastu turgidum, neque abiecto animo, nec uoluptatibus deditum, neque difficilem morosumque fuisse, non quidem temere cuius dextram iniecisti, sed Poetae dictum semper Tibi in animo fuit:

Nulla

Nulla quidem pestis magis est operosa nocendi,

Quam simulatus amor - - -

Musas et elegantiores disciplinas non a limine salutasti, sed singulari cura et alacritate circa eas uersatus es; nec cum Martis scholas frequentares literae Tibi in deliciis esse desierunt, probe perspicienti, quod etiam nostris temporibus hoc numen armis studia coniungi uelit:

Hoc ne se solum posse Minerva putet.

Sed florentem aetatem uitae finem, statum, qui Tibi maxime conducere uidebatur, exitio Tibi esse fata iubebant. Iucundissimum arbitratu, immensis istis copiis immixtum esse, quae prope Rhenum superiori anno sub augustissimo Imperatore periculum ab hostibus intentatum propulsabant,

faciesque uerendas

Adspexisse ducum famosaque nomina nosse.

Non minori uoluptate socium Te dedisti subsidiis, quae in patriam inde adducebantur, sed longo itinere confecto inueniebas bellicis tempestatibus agitatum,

Quaeque nec hoste fero, nec niue terra caret.

Infestis signis irruptio fiebat, et cum ui cedendum esset, receptui canebant et Toeplizium magnis itineribus

rib us petebant Auftriaci. Alius ibi isque ultimus Te
hostis expectabat, qui magno irruens impetu Egrae
uictoriam a Te, reportabat. Quanta fati necessitas!
illud uitae institutum, quod salubre Tibi fore sperabas
exitiosum fuit; in locis, quo mortales alias ualitudi-
nis causa conuenire solent, morbum ipsamque mor-
tem inuenisti; sed salutem ibi reperisti aeternam, et
aditus Tibi ad illum medicatum fontem patefactus
est, ex quo non sanitatem adipisci, sed aeternam ex-
ultationem haurire potes. Optimi autem Parentes
lacrymas, non ingratum Deo sacrificium, tumulto
Tuo infundunt, reliqui necessarii obitum Tuum lu-
gent, atque hae pagellae Tibi exstant

Indeclinatae munus amicitiae.



ULB Halle

001 818 198

3



QK. 285

v. Beulwitz

Za
2318

In

PRAEMATVRVM OBITVM

24

VIRI

IVVENIS GENEROSISSMI

IOHANNIS FRIDERICI

DE BEVLWIZ,

QVEM FRATERO ATQVE TENER-

RIMO AMORE AMPLEXVS EST

IANVAR. 1746.

SECVTVM

MI MOESTITIA

LORAT,

MVLOVE

FRATRIS ANIMO

VOLVIT

S FRIDERICVS

BEVLWIZ.

LITTERIS KEILIANIS.

